



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XVI. Alia etiam argumenta aduersùs distinctionem virtualem intrinsecam
in rebus creatis soluta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

assentiat sine proprio, & formali assensu, nihilominus tamen poterit res creata proprie, & formaliter subire prædicata contradictoria sine propria, ac formali distinctione, beneficio videlicet solius distinctionis virtualis.

- 233 Respondeo tertio, non posse à Deo suppleri effectus formales absentibus formis: denominationem autem assentientis esse effectum formalem veri, ac proprii assensus proinde mirum non esse, quòd intellectus sine illo nequeat assentiri. Cæterum prædicata contradictoria, qualia sunt vniri, & non vniri, cognosci, & non cognosci, & alia huiusmodi non esse effectus formales distinctionis actualis, sed potius vnionis, & cognitionis, & carentiæ ambarum, atque adeo posse prædicata illa contradictoria absque actuali distinctione in eadem re reperiri, ita vt eius vicem distinctio merè virtualis, & secundum quid gerat. Quòd si sermo sit de prædicatis contradictoriis in actu primo radicali, cuiusmodi sunt intrinsecè, & essentialiter posse vniri, & non vniri, cognosci, & non cognosci, &c. fatemur ea interdum esse effectus formales distinctionis realis, siue, quæ perinde est, actualis, & propriæ, nimirum quando in res realiter distinctas recidunt. Illud tamen, & nostris argumentis, & instantiis nuper positis contendimus, talia prædicata contradictoria radicalia, & in actu primo remoto interdum etiam esse effectus formales distinctionis virtualis, & improprie, & ab ea sola proficisci posse, & solere, quandocunque scilicet in vnam, eandemque rem conueniunt.

CAPVT XVI.

Alia etiam argumenta aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis soluta.

- 234 **D** Vodecimum est, multum nos derogare infinitati diuinæ: huius enim priuilegio fit, vt Paternitas, & essentia Dei, eiusque bonitas, & sapientia prædicata contradictoria absque distinctione reali suscipiant. Atqui nos in quantulacunque re creata contradictionem prædicatorum cum identitate reali coniunctam, & à reali distinctione seiunctam adstruimus: infinitati ergo diuinæ detrahimus, & eius instar quoddam, alterumque tantum creaturæ suapte natura finitæ, & imperfectæ arrogamus.
- 235 Respondeo, infinitatem suam Deo factam, rectamque manere, nullaque spoliari prærogatiua, tamen res creata, & finita, existens vna realiter, prædicata tamen contradictoria suscipiat: falsò namque supponitur ab aduersariis priuilegium diuinæ infinitatis in eo situm esse, quòd eadem res eius beneficio prædicata opposita admittat: tum, quia argumenta à nobis, & hæcenus adducta, & postmodum adducenda pro distinctione virtuali satis efficaciter ostendunt, congruere posse rei quantumvis finitæ prædicata contradictoria: tum, quia diuina infinitas hoc solo longè, latèque differet ab imperfectione, & finitudine creaturæ, eamque excelsit, quòd solus Deus prædicata opposita à se habeat, & non emendicet extrinsecus: tum etiam, quia essentia diuina prout virtualiter distincta à Paternitate, aut certè aliqua eius formalitas, vel potius quævis est infinita simpliciter, & tamen prædicata contradictoria non recipit: tum quoque, quia, vt res infinita ab ea, quæ est finita, infinito quodam intervallo distet, circumscripta quavis contradictione prædicatorum, satis est, quòd sit æterna, immensa, omnia, omnipotens, optima, ac maxi-

ma: tum denique, quoniam duæ res finitæ, Petrus, verbi gratia, & Paulus subeunt prædicata contradictoria: & tamen finitæ manent: quanquam ergo vna aliqua res creata recipiat prædicata inuicem contradictoria, hinc præcisè non sequitur, quòd finita esse nequeat, aut ad infinitatem allurgat. Vide quæ supra disputauimus cap. 14. huc enim faciunt.

Decimumtertium argumentum, & superioris confirmationis. Idcirco nulla res creata duabus, vel pluribus realiter distinctis identificari potest, quia, cum finita sit, extendi nequit identicè ad extrema infinitè distantia inuicem: res autem realiter distinctæ, cuiusmodi sunt Petrus, verbi gratia, & Paulus, infinitè distant, sin minus formaliter, at certè virtualiter, & æquiuallenter, eo nimirum, quòd Paulus sit non Petrus quodammodo, Petrus autem, & non Petrus simpliciter infinitè dissident, propterea, quòd conceptuum omnium obiectiuorum, quotquot sunt possibiles, aut etiam impossibiles, creati, aut non creati, nullus omnino sit, qui Petrus, aut non Petrus sit. Atqui hæc ratio fusè à nobis proposita in Dialect. tract. 2. probat fieri non posse, vt eadem res creata, & finita suscipiat prædicata contradictoria: hæc enim, qualiacunque sint, infinitè simpliciter distant: namque, cum dicitur animalitas hominis esse similis equo, nihil omnino esse, aut cogitari potest, quod, aut equo simile sit, aut non simile: huiusmodi ergo prædicata opposita infinitam habent extensionem, & interapedinem, adeoque sine fine distant, nihilominus, quàm extrema inuicem realiter distincta: nulla ergo res creata poterit eis subesse.

Respondeo, non perinde distare inuicem infinitè prædicata quævis contradictoria, ac extrema realiter distincta. Ratio huius est, quoniam infinita distantia duo importat, nempe distantiam, & infinitam extensionem, atque interapedinem: vtramque autem fortuitur res realiter distincta: distantiam quidem, eo, quòd altera extra alteram, non localiter, sed essentialiter sit, vniusque essentia verè non sit essentia alterius: infinitatem etiam extensionis, & interapedinis, non formaliter, at certè virtualiter, & æquiuallenter, eo, quòd tametsi multa sint, quæ, nec Petrus sint, nec Paulus, nihil tamen, quod non sit Petrus, aut non Petrus, Paulus autem non Petro æquiuallens, eumque in se infert haud aliter, ac ex assensu sequitur in eodem intellectu non dissensus. Cæterum prædicata contradictoria quantumlibet opposita, licet infinita illa extensione, & interapedine nunquam non gaudeant, non semper tamen habent distantiam: hæc enim exposcit distinctionem veram: quæ autem prædicata contradictoria de eadem re, ac tantum multiplici eius formalitate affirmantur, haud sunt verè distincta, sed potius suorum more subiectorum indistincta: quocirca nullatenus distant, nedum infinitè. Et quidem, vt aliquo modo proprie distent, eorum infinitas quadam est insufficiens: Deus enim infinitus est, & tamen à seipso non distat: haud etiam sufficit ad propriam aliquam eorum distantiam oppositio, & contradictio formalis, ac immediata: namque iudicium, quo Deus affirmat, Petrum existere in instanti A, & aliud, quo posset affirmare eum tunc temporis non existere, si nimirum ita non existeret, vtrumque, inquam, iudicium hoc Dei contradictoriam oppositionem habent inuicem, vt luce clarius: at iuxta plerorumque aduersariorum sententiam, ne realiter inadæquate distinguuntur, aut distant, sed in essentia diuina summam fortuitur identitatem, & indistantiam.

Decimumquartum argumentum, ac duorum præcedentium confirmatio sit; mysterium Trinitatis iuxta nostram

nostram sententiam inuichi posse, & debere in res creatas. Eiusmodi enim ineffabile mysterium in eo potissime consistit, quod vna natura diuina tribus personis realiter distinctis, sit nihilominus realiter eadem: atqui simile quidpiam in creaturis admitti poterit, admissa semel distinctione virtuali: hæc enim facit, vt de eadem re creata verificentur prædicata contradictoriè opposita: ergo etiam poterit præstare, vt de eadem re creata plura quædam realiter distincta verificentur, eique identificentur. Antecedens est nostrum. Consequentia videtur perspicua: siquidem plus est aliqua opponi, quam distingui: quod enim albedo, verbi gratia, & nigredo opponantur, & incompossibiles sint, maius quiddam est, quam quoddam albedo, & dulcedo realiter distinguantur, cum interim sint compossibiles, ac non oppositæ inuicem: quando ergo prædicata opposita, & contradictoria de eadem re creata verificantur, eique per identitatem conueniunt, vi scilicet distinctionis virtualis; profectò à fortiori, vt aiunt prædicata realiter distincta poterunt de ea verificari, eique per identitatem inesse.

239 Respondeo, prædicata contradictoriè opposita verificari posse de eadem re creata: hinc tamen non sequi, extrema realiter distincta ei posse re vera conuenire, ad modum, quo de eadem natura diuina tres personæ realiter distinctæ affirmantur ex vero: quocirca nihil simile mysterio Trinitatis in creaturas à nobis inuehitur. Ratio verò discriminis inter prædicata contradictoriè opposita, & extrema realiter distincta est satis euidentis: quoniam prædicata contradictoria de multiplicitate eiusdem rei formalitate ex vero affirmata infinite inuicem non distant, cum tamen extrema realiter distincta fortiantur infinitam mutuò distantiam; quorum alterum, alterumque nuper ostensum est: mirandum ergo non est, quod res creata, & finita vna manens sese per identitatem extendat aliquando ad prædicata contradictoria, nunquam verò ad extrema realiter distincta: horum enim, vt dictum, non verò illorum est infinita distantia. Porro ad hanc inferendam maius quiddam est oppositio, quam distinctio mera, si oppositio cum distinctione oppositorum sit coniuncta. Atque hoc solum probat exemplum argumenti.

240 Decimumquintum est huiusmodi. Si natura humana, verbi gratia, esset virtualiter distincta à singularitatibus, non posset per eas multiplex constitui: natura enim diuina realiter identificatur cum tribus personis, & tamen, quia ab eis est virtualiter distincta, per earum realem multiplicitatem realiter multiplex non euadit: similiter ergo in præfenti, &c.

241 Respondeo: natura diuina prout condistincta virtualiter à tribus personis est singularis, & numericè vna: proinde nequit per identitatem cum eis realem multiplicari: cæterum natura humana, prout distincta virtualiter à singularitatibus, non est vna, neque plures numericè, sed ab vnitæte, & pluralitate numerica præscindit: vnde merito singularitatum, quibus est realiter eadem plurificari potest, quantumvis ab eis virtualiter diuersa: nimirum illa naturam hominis vnā numericè, & incapacem pluralitatis haud reperiunt, cum tamen personæ diuinæ eius naturam singularem, & omnis multiplicatis incapacem supponant. Rursus secundò non nihil aliter. Haud est potior ratio, cur personæ realiter multiplicent naturam, quam, vt hæc illas realiter adunet, & vt sic dixerim, indiuiduet, quando natura à diuinis relationibus præcisa, tam est vna, ac singularis, quam illæ à natura præcisæ sunt plures: cum

igitur natura diuina personas non indiuiduet, nec ad vnitatem numericam, ac singularem redigat, plane hæc illam nequaquam realiter, ac numericè plurificabunt: hæc autem ratio non procedit in natura humana, & singularitatibus, haud enim sicut his per se, ac sponte sua conuenit multiplicitas realis, & numerica, ita etiam humanitati secundum se similis vnitas.

Præterea tertio personæ diuinæ, siue eius relationes non sunt singularitates, sed potius per singularitates à se virtualiter distinctas sunt singulares: cur ergo naturam diuinam realiter multiplicent, quamuis singularitates humanæ hominis naturam realiter multiplicem, & hanc, v. g. & illam reddant? Tamen autem natura diuina realiter identificetur cum singularitatibus personarum, haud propterea tamen per eas plurificari, siue tripliciter singularis reddi poterit, aut debet, cum non respectu illius, sed intuitu personarum singularitates sint tales, & comparisonem harum, non verò illius totam suam vim habeant. Sic existentia formæ substantialis, licet vnita materiæ, eam tamen existentem non denominat, quia non respectu illius, sed gratiâ formæ est existentia. Sic etiam scientia verbi, tamen vnita animæ Christi, eam tamen scientem iuxta plerisque non denominat, quoniam non contemplatione illius est scientia, sed verbi, cum quo identificatur. Sic demum sensus materialis hominis, esto secundum probabilem multorum opinionem, non solum in anima sed etiam in materia prima recipiatur, alioqui corporea & materialis neutiquam futura, fortassis tamen solam animam, non verò materiam primam denominat sentientem, quia nimirum non intuitu materiæ, & corporeæ concretionis est sensus, sed comparatione solius animæ spiritalis.

Decimum sextum argumentum sic habet. Admissa 243 distinctione virtuali graduum non poterit non sequi eorum distinctio realis. Etenim animal rationale iuxta nos debet esse perfectius, maiusque, non mole, sed dignitate solius animalis gradu, quem includit: at nihil seipso maius, aut perfectius esse potest: animal ergo rationale in nostris principiis nequit esse realiter gradus solius animalis, ab eoque potius dignitur realiter inadæquatè. Minor probatur, quoniam nihil seipsum verè, & realiter producere valet: ergo à pari, vt aiunt, nihil esse potest seipso maius, & perfectius: quod enim vtrinque discrimen? Maior probatur, tum, quia duæ perfectiones finitæ pariunt perfectionem maiorem vna sola: sed animalitas, & rationalitas sunt duæ perfectiones finitæ: duæ perfectiones, quæ est earum distinctio virtualis, finitæ, vt per se manifestum: ambæ ergo alterutri præstant: tum etiam, quia animalitas equina est æqualis perfectionis cum animalitate, quæ reperitur in homine: quid enim habere possunt ambæ prout à differentiis suis virtualiter præcisæ, ratione cuius sint inæquales? at animal rationale est perfectius animali, quo homo constat, imo etiam totum equum perfectione superat: animal ergo rationale est perfectius animali, quo homo coalescit: quod namque perfectius est vno æqualium, id etiam perfectione vincit alterum: quo pacto Angelus Petrum perfectione excedens Paulum etiam exuperat, quoniam scilicet ambo sunt æquales.

Respondeo, animal rationale haud esse propriè, 244 ac verè perfectius gradu solius animalis, quo homo constat. Nimirum, quia cum illo est realiter, ac verè idem, ac non nisi virtualiter, & impropriè ab eo distinctum. Nulla autem res est seipsa verè, ac strictè perfectior: maiore. Primum propter rationem ab aduersariis

uersariis allatam. Secundò, quoniam ab Aristotele, Augustino, Damasceno, Thoma, & ab omnibus philosophis inæqualitas inter relationes prædicamentales connumeratur: relatio autem prædicamentalis, quæcunque ea sit, extrema realiter distincta, non verò eadem necessariò interiacet, ut infra lib. 3. huius operis tract. 6. cap. 13. à nobis latè probabitur. Tertiò, quia in personis diuinis nil maius, aut minus est, ut in symbolo Athanasij Ecclesia decernit: & tamen realiter distinguuntur, solamque identitatem habent mediatam, & in essentia omnibus communi: à fortiori ergo quæ immediatam fortiuntur identitatem realem, hoc ipso nullam inæqualitatem admittunt. Aliis probationibus superfedeo, ne, quam par est, longior sim in re confessa, ac manifesta. Cum igitur animal rationale reipsa sit idem cum gradu animalis, quem includit, quò fieri potest, ut sit eo maius, aut perfectius quantumlibet ab illo virtualiter distinctum?

245 Rationes autem, quibus ad uersarij inæqualitatem, excessumque eum ex nostra sententia inferunt, quantum arbitror, sunt planè nullæ. Ad primam dicendum est, animalitatem, & rationalitatem non esse duas perfectiones propriè, ac simpliciter, sed vnam solam, cum neutra sit ab altera plusquam virtualiter distincta. Quod autem impropriè, ac latè duæ sint, ad excessum parum, aut nihil refert; aliàs etiam in contraria opinione animal à rationali, & hoc ab illo sola consideratione tenus distinguente animal rationale solo animali perfectius esset, atque præstantius. Ad secundam dicendum est, animal, quod est in homine, esse quidem præcisiuè, & secundum quid æquale ei, quod est in equo: at realiter, & propriè vtrumque esse inæquale: vnde licet animal rationale sit perfectius animali, quo constat equus, non tamen eo, quem homo inuoluit: humanum enim, & equinum esse æquale, si propriè loquendum, omni, ut sic dicam, falsitate falsius est. Rursus quod est æquale vni æqualium, non propterea est æquale alteri; si nimirum non petinde ab vno, ac ab altero realiter distinguatur, sicut ad relationem æqualitatis oportet: hinc est, ut quamuis Petrus, & Paulus sint æquales in ratione hominis, Petrus tamen sibi metipso nequiquam sit æqualis, tametsi Paulo sit æqualis. Pari ergo ratione, licet animal rationale sit perfectius animali, quod est in equo, eique inæquale, haud propterea perfectius erit animali, quod est in homine, ut vtrumque animal præcisiuè, aut, si maius etiam possitiuè æquale sit: ab vno enim, & non ab altero realiter distinguitur: Regula ergo illa, quod est perfectius vno æqualium, debet etiam esse magis perfectum altero, duntaxat locum habet, quoribus quod contenditur cum vtroque ab eis est realiter distinctum.

246 Decimumseptimum aduersus nos argumentum. Admissa semel distinctione virtuali graduum, ea certè negari nequit inter vim cognoscitiuam, & appetitiuam: nullum enim argumentum distinctionem virtualem alibi, & non hinc probat, ac pari quidem vtroque vi, & energia. Sicut enim procul intuens hominem, eumque non discernens à bellua, cognosco, quòd sit animal, nescius, an sit rationale; ita etiam possum cognoscere certò creaturam aliquam Deo possibilem esse cognoscitiuam, & ignorare, an sit aliquis appetitiua: multi namque creaturam intellectiuam, & non volitiuam haud repugnare censent, tametsi hallucinentur, ut constabit in loco: iam ergo in hac creatura, adeoque in quavis alia id genus distinguuntur virtualiter gradus intelligendi, gradusque volendi, vel certè nullius erit momenti potissima

experientia, qua probari consuevit, animal, & rationale in nobis virtualiter esse distincta. Rursus ei gradus respiciunt diuersa connotata, cognitionem nimirum, & appetitionem: contemplatione ergo illorum distinguetur virtualiter alter ab altero, si propterea animal à rationali, odium contritionis ab amore, & quæcunque demum formalitas ab alia virtualiter distinguitur, quia diuersa connotata spectant: propterea autem eas ita distingui semper disputamus, qui illarum tuemur distinctionem, nullumque nostræ sententiæ argumentum non huic fundamento superimponimus.

Iam verò quod vis cognoscitiua à vi appetitiua nequeat virtualiter distingui, haud est difficile probatu. Etenim si ita sint distinctæ, altera earum poterit solum appetere, & altera cognoscere duntaxat. Quòd si vtraque ad vtrumque valet, non erit, ut eis prædicata contradictoria conueniant, quemadmodum ad distinctionem virtualem oportet. Porro si altera tantum appetere, & non cognoscere potest, ea quidem de potentia ad actum reducta tantum appetet, & non cognoscat: hoc autem omnino repugnat, nihil enim volitum, quin præcognitum, ut & communis philosophorum omnium consensus, & naturæ ipsius lumen demonstrat. Nec prodest recursus ad identitatem realem vtriusque gradus, quasi, ut alter amet, satis sit, alterum ab eo realiter indistinctum cognoscere: namque si vis appetitiua propriè non cognoscit, cæca manebit, quantumlibet vis cognoscitiua secum eadem obiectum non ignoret: huius igitur cognitio inutilis erit ad id, ut illa dirigatur, ac cæcitatem deponat prout ad amandum opus.

Nemo Thomistarum hoc argumento premere poterit, aut premi se putabit, cum fermè omnes censeant, voluntatem amare, & non eam, sed intellectum ab ea etiam realiter distinctum cognoscere obiectum amandum. Deinde aduersus nos etiam nullam vim habet, quippe qui tuemur, vim appetitiuam propriè, & absolute cognoscere bonitatem, quam est amatura, tametsi eam non nisi media vi cognoscitiua secum realiter identificata cognoscat; & vtrique nihilominus prædicata contradictoria conuenire, scilicet quoniam vis appetitiua prout appetitiua non cognoscit, sed solum prout cognoscitiua: quod autem prout appetitiua non cognoscat, haud efficit, ut nequaquam propriè cognoscat; quemadmodum etiam album prout album non est dulce, & tamen absolute, ac verè est dulce. Vide quæ supra cap. 15. in hanc rem disseruimus.

CAPVT XVII.

Aliorum quoque argumentorum aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis solutio.

249 QVorum primum, sed respectu præcedentium decimumoctauum esto. Quidquid à parte rei existit, & productionem terminat, singulare est. Et quidem homo, v. g. non existit à parte rei, nisi in quantum Petrus, vel Paulus, aliudve indiuiduum: par est ratio alterius cuiusvis conceptus vniuersalis; nullus ergo existit à parte rei, ut talis, & non potius, ut singularis. Huc facit, quod ait Aristoteles lib. 1. metaph. cap. 1. non hominem, sed Socratem, & Calliam à medicis curari: non ergo homo, quatenus vniuersalis, sed quatenus singularis, quamuis aliam actionem, ipsamque terminat existentiam, Porro quod